Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8277
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

quod inquit psalmista: Tu reddes singulis secundum opera eorum.

De divino iudicio

Quis autem non timeat illud examen in quo idem erit et accusator et advocatus et iudex? Accusabit enim tunc dicens: Esurivi et non dedistis michi manducare, sitivi et non dedistis michi bibere. Advocabit tunc subdit: Quamdiu non fecistis uni de minoribus hiis nec michi fecistis. Iudicabit tunc inferet: Discedite a me maledicti in ignem eternum. Non erunt testes in illo iudicio necessarii, quia tunc manifesta erunt abscondita tenebrarum. Nichil enim occultum quod non revelabitur. Tunc libri erunt aperti et iudicabuntur mortui ex hiis que scripta sunt in libris secundum opera eorum. Quantus erit pudor in pectoribus, quanta confusio tunc eorum nephandissima cum universis erunt liquido manifesta. Ubi quidem commisse sunt iniquitates et quare tecta sunt peccata. Ab illa sententia nullus poterit provocare, quia pater omne (Ioh) iudicium dedit filio, qui claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit. Os enim domini locutum est.

Quid prodesse poterit dampnatis

Tunc non proderunt opes, non defendent honores, non suffragabuntur amici. Scriptum est enim: Argentum eorum et aurum eorum non valebit (Ezech) liberare eos in die furoris domini. Flebunt et plangent reges terre cum videbunt fumum incendii eius propter timorem tormentorum eius. (Ysaye) Quid igitur facietis in die visitationis et calamitatis de longe venientis? Ad cuius fugietis auxilium? Unusquisque onus suum portabit. Anima que peccaverit ipsa morietur. O districtum iudicium in quo non solum de factis sed de omni verbo ocioso quodcumque locuti fuerint homines reddituri sunt rationem, in quo usque ad novissimum quadrantem exigetur debitum cum usuris. Quis ergo fugere poterit ab ira ventura? Mittet filius hominis angelos suos et colligent de regno eius omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem et alligabunt fasciculos ad comburendum et mittent eos in caminum ignis ardentis. Ibi erit fletus et ~~stridor dentium~~ gemitus, eiulatus et ululatus, luctus et cruciatus, stridor et clamor, timor et tremor, dolor et labor, ardor et fetor, obscuritas et anxietas, acerbitas et asperitas, calamitas et egestas, angustia et tristicia, oblivio et confusio, torciones et punctiones, amaritudines et terrores, fames et sitis, frigus et cauma, sulphur et ignis ardens in secula seculorum. Amen.

Explicit Innocencius tercius de vilitate condicionis humane.